

munis vel alibi in civitate Tergesti, unum par. pro qualibet libra carnum, de capite vero cuiuslibet bovis vace porci et porce duos frx., de capite vero cuiuslibet castrati moltoni capre yrci et pecudis unum frx., de capite vero cuiuslibet capreti et
 5 agni unum sold., qui becharii vel alie persone vendentes ipsum dadium solvere teneantur. ¶ Et hoc antequam pelles extrahantur de macello, sub pena decem sold. par. pro quolibet becario sive alia persona non solvente et pro qualibet bestia sive animali predictorum et pro vice ¹⁾ qualibet contrafacta. ¶ Et si
 10 qua persona civis vel habitatrix Tergesti emerit de supradictis animalibus a Vena inferius, etiam pro necessitate sue domus, solvere debeat et teneatur dictum datium sub dicta pena. Exceptis massariis civitatis Tergesti ementibus porcos vel porcas agnos vel capretos pro necessitate sue domus, vel interficientibus de suis propriis bestiis sive animalibus, que nutrierint et
 15 habuerint et de ipsis nichil vendiderint, pro quibus nullum dadium solvere teneantur. ¶ Preterea ipsi becharii sive alia persona vendens carnes ponderare non debeant nec facere ponderari aliquas carnes venales in macello comunis vel alibi sine
 20 presentia daciarii // comunis vel eius sotii. Et quod talis daciarius vel eius socius ponderare debeat omnes quatuor quartas cuiuslibet bovis ²⁾ et vace et omnes alias bestias vendendas in dicto macello, sub pena centum sold. par. pro quolibet daciario et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quod nullus becharius debeat
 25 ponderare vel facere ponderari aliquas carnes occasione dicti daciarii sub dicta pena. ¶ Item dictus daciarius habere recipere et exigere debeat et possit a qualibet persona cive vel habitatore sive forense civitatis Tergesti, conducente seu conduci fatiente in civitatem Tergesti aliquam quantitatem salis per
 30 mare vel per terram, sold. quatuor par. pro quolibet modio salis, et similiter habere recipere et exigere debeat ab emptoribus dicti salis ementibus in civitate Tergesti sold. quatuor par. pro quolibet modio ipsius salis. Et ipsi tales conducentes vel ementes ipsum sal dictum dadium solvere teneantur eidem
 35 daciario, sub pena quadraginta sold. par. pro quolibet contra-

¹⁾ *die.* ²⁾ *bonis.*